



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XXXIV. Markgraf Ludwig der Römer ermäßigt die Urbede der Stadt Bärwalde und gewährt der Stadt verschiedene Begünstigungen, am 30. November 1350.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

XXXIII. Markgraf Ludwig versichert Heinrich Sachsenberg, Zöllner zu Küstrin, seines Schutzes und des Gerichtsstandes vor dem Hofgerichte, am 26. November 1350.

Noveritis, quod nos Ludovicus etc. discreto viro henrico Sachsenberg, theolonario in Custrin, fideli nostro dilecto, suis heredibus et ipsius familie in dicto theolonio talem gratiam fecimus per presentes, quod nullibi respondere debebunt in iudicio, quam coram nobis aut iudice curie nostre, prout ab antiquo apud suos predecessores theolonarios extitit observatum. Volentesque memoratum Henningum et suos heredes terras, lacus, stagna et quecumque alia ad predictum theolonium ex antiquo et jure pertineant, manu tenere fideliter et firmiter defendere. Si quis vero nostrorum officiorum vel alter huic premisse gracie nostre audebit seu presumpserit contraire, is nostram indignacionem se noverit incursum. In cuius etc. Datum Soldin, Anno M^o CCC^o L^o, feria sexta post katherine.

Aus einer v. Sachwigschen Abschrift.

XXXIV. Markgraf Ludwig der Römer ermächtigt die Urbede der Stadt Bärwalde und gewährt der Stadt verschiedene Begünstigungen, am 30. November 1350.

Noverint universi presentes literas inspecturi, quod Nos Ludovicus Romanus, dei gratia Brandenburgensis Marchio etc., discretorum virorum Consulum et universorum civitatis nostre Berenwaldensis civium, fidelium nostrorum dilectorum, perpendentes inopiam, ad eandem presentibus et futuris tollendam gratiam facimus per presentes, quod deinceps nobis et nostris heredibus in annua ipsorum pensione precariis et omni servitio nil magis quam triginta quatuor marcas argenti Brandenburgensis singulis annis debebunt, sed distinctis temporibus, videlicet decem et septem in festo beate Walpurgis et decem et septem in festo beati Martini solvere siue dare. Debebunt quoque ciues curias, domos et mansionem corporalem ibidem habentes a civitate nostra Nova Landesperg, Wartam et Oderam descendendo et ascendendo ad predictam civitatem de omnibus mercimoniis, que duxerint undique, fore liberi ab omni thelonii datione. Nihilominus quocumque per terras nostras perrexerint, eadem debebunt perfrui libertate. Poterunt etiam in metis, terminis seu distinctionibus suis de novo locare, fundare, construere, edificare molendinum, liberum ab omni pactu aut precaria, in aquis aut campis nostro benevolo de consensu, quem ipsum gratuitè presentibus elargimur. Debebunt extra civitatem et dicte civitatis iudicium nullatenus trahi Consules siue Cives, nisi excessus committerent evidenter, qui dicantur handhafte that: Si vero quis Consules ibidem impetere vellet via juris, is ipsos deberet in nostra Curia convenire. Ceterum ipsis promittimus, quod non debemus quovis modo in dicta civitate Berenwold aliquod Castrum seu Municionem facere, conficere seu fieri permittere. Ut autem hec omnia promissa sepedictis Consulibus et Ciuibus presentibus et futuris Nos et Nostros heredes rata perseverent, presentes fieri et nostri sigilli munimine iussimus communiri. Testes sunt strenui Viri Haffo senior de Wedel,

Albertus de Wolfstein, Petir de Ost, Ludwig de Wedel, Hasso de Valkenburg, Hasso de Uchtenhagen, Milites, et Henningus de Wedel cum ceteris fidedignis. Datum in Kungspurg, Anno Domini M^o CCC^o L^o, in die beati Andree Apostoli.

Nach v. Hachwitz'scher Abschrift des Originals.

XXXV. Markgraf Ludwig überträgt dem Böllner zu Küstrin den Theil des Zolles zur Berechnung, welchen der Berliner Bürger Uhlmann besessen und wegen seiner Auerkennung des falschen Waldemar verwirft hat, am 15. Dezember 1350.

Nouerint etc. quod nos Ludovicus etc. commisimus et presentibus committimus discreto viro Hinrico Sachsenberch, theolonario in Culstrin, et ipsius veris heredibus, fidelibus nostris dilectis, partem dicti theolonii, que pertinuit ad Nicolaum vleman et socios eiusdem, ciues in Berlin, qui propter crimen lese maiestatis in nos commissum per ipsos occasione cuiusdam ficti, imo falsi waldemari, cui tanquam ipsorum domino adheferunt, ipsam partem ipso facto legitime perdidierunt, tenendam, colligendam, regendam et pacifice possidendam et nostro nomine in dicto theolonio censum habentibus ipsorum debitum persolvendo, dum tamen de eadem parte nobis et nostris heredibus de predicta parte debitam faciat rationem. In cuius etc. Datum Frankfurth, Anno M^o CCC^o L^o, feria quarta post Lucie.

Nach einer v. Hachwitz'schen Abschrift.

XXXVI. Die Markgrafen Ludwig und Ludwig der Römer vereinigen der Johannis-Capelle zu Quartzen eine Hebung aus dem Hufenzinse der Stadt Bärwalde, am 10. Februar 1351.

Nos Ludovicus et Ludovicus Romanus etc. recognoscimus tenore presencium literarum, volentes eas ad universorum tam presencium quam futurorum noticiam pervenire, quod ob merita grataque obsequia nobis per fratres ordinis cruciferorum sancti Johannis Hospitalis Hierosolymitani fideliter exhibita et ut bonorum operum, que per ipsum ordinem Deo sedulo exhibentur, participes fieri mereamur, VIII frusta reddituum annuorum, que frater Johannes de Wardenberch, quondam ordinis templariorum, emendo comparavit in censu manorum opidi nostri Berenwalde, dedimus, damus et solenni donacione donamus per presentes altari sancti Johannis evangeliste et beate Catharine, sito in capella curie Quartzen, sic quod idem reditus ad predictum altare debeant perpetuis temporibus sine impedimento quolibet iusto proprietatis titulo pertinere. Renunciantes juri, quod nobis, nostris heredibus aut successoribus in premissis redditibus com-